

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Satisfactio b cum fonte primo

De cotidianis breuibus leuibusque peccatis sine quibus hec uita non ducitur, cotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere: Pater noster qui es in celis, qui iam regenerati sunt ex aqua et Spiritu. Delet enim hec oratio minima et cotidiana peccata; delet eciam illa a quibus uita fidelium eciam scelerate gesta sed premittendo melius mutata discedit.

Augustinus in encheridion capitulo LXXI.

De cotidianis autem breuibus leuibusque peccatis sine quibus haec uita non ducitur, cotidiana oratio fidelium satis facit. Eorum est enim dicere: Pater noster qui es in caelis (Matt. 6:9), qui iam patre tali regenerati sunt ex aqua et spiritu sancto. Delet omnino haec oratio minima et cotidiana peccata. Delet et illa a quibus uita fidelium etiam scelerate gesta sed paenitendo in melius mutata discedit si, quemadmodum ueraciter dicitur: *Dimitte nobis debita nostra* – quoniam non desunt quae dimittantur – ita ueraciter dicatur: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, fiat quod dicitur: quia et ipsa eleemosyna est ueniam homini petenti ignoscere.

Augustinus Hipponensis, *Enchiridion ad Laurentium de fide et spe et caritate*, 19, 71 (CCSL 46, M. Evans ed., p.88, ll.9-19).